Vota
Nuptiis auſpicatisſimis
VIRI
NOBILISSIMI atq; AMPLISSIMI
DN. JOHANNIS AUSTENII,
Reipubl. Thorunenſis Secretarii digniſſimi,
Cum
VIRGINE
itidem Nobiliſſima & virtutibus ſexus ſui ornatiſſima
SUSANNA DOROTHEA
VIRI
PLURIMUM REVERENDI atq; EXCELLENTISSIMI
D. PAULI HOFMANNI,
SS. Th. Doctoris, Eccleſiæ Thorunenſis Aug. Conf. Senioris, Gymnaſiiq; Rectoris, ut & Præpoſiti Wurzenſis
FILIA Dilectisſima,
concepta
à
Gymnaſii Thorunenſis Profeſſ.
& Docentibus aliis.

THORUNII imprimebat CHRISTIANUS BEKK, *Gymn. Typogr.*

Ad Parentem Sponsæ:

Ingeminant densata piæ præconia Musæ,
Et satagunt doctæ plectra movere lyræ.
Dum tali, Vir Magne, Viro tua filia nubit,
Aonides qvem sic excoluere Deæ,
Porrigat ut faciles ipsi jam curia dextras,
Et pariter facilem sternat ad alta viam.
Sic bene sollicitæ Matris cessere labores
Hos tulit & fructus sedula cura Patris.
Namq; labor vester fuerat, non corpore tantum,
Sed qvò mente magis filia plucra foret.
Formata est igitur verâ virtute puella,
In qva etiam mores cum probitate nitent;
In qva sublimem porrectæ frontis honorem
Virtutis summus condecoravit amor.
Fortiùs in Sponsum hæ dotes torsere sagittas
Qvam sua pennatus spicula torqvet Amor:
Hæ dotes sociæ promittunt plurima vitæ
Gaudia, sincerus sic ubi regnat amor.
Hæc qvoq; cuncta beant Sponsos, spondentq; Nepotes
Maxima qvi magni dona imitentur avi.

M. CHRISTOPHORUS Hartknoch/
Gymn. Thorun. Prof. Publ.

Humani thalamos qvisqvis putat esse cerebri,
Fallitur, illius Cor gravis error habet.
Ipse DEUS sanxit socialis fœdera lecti,
Inq; una jussit vivere carne duos.
Fructifero Sponsos *paradiso induxit*, eisq;
Magnificam dotem deliciasq; dedit.
Sic hodieq; favet thalamis DEUS ille pudicis,
Sponsorum *casto pectora amore ligans.*

Susten-

Sustentat, nutrit, servat, regit atq; gubernat,
Mirificè ducit, copulat, ornat eos.
Sæpe maritus adest nimis ex regione remota,
Sæpe peregrinis cara marita locis.
Alter in alterius complexus sæpe vocatur,
Qui priùs huic nullo nomine notus erat.
Germanus, Gallus, Thrax, Anglus, Sarmata, Dacus,
Uxorem ex alio deligit Orbe sibi.
Exemplo est nobis præstanti corpore Virgo,
Virtute insignis Filia cara Viri.
Qvam pietas morum, pudor atq; modestia vitæ
Clarat, Virgineum qvam decus omne canit.
Nacta Domum, terras alieno sole calentes,
Misnia cui nuper Patria dulcis erat.
Vixit ubi Genitor largo dilectus amore
SAXONIÆ PATRIBUS, claraq; Torga, Tibi.
Qvi nostris hodie cœlestia dogmata solers
Inculcat Templis, Gymnasiumq; regit.
Sacrata verus qvi DOCTOR habetur in æde,
Ignaris monstrans qvæ sit ad astra viam.
Hujus Nata datur Juveni, qvem gloria gentis
Prussiacæ decorat, famigerumq; facit.
Respicias etenim summo si in Honore Parentes;
His qvid Thorunii dignius esse potest?
Præ-Consul Genitor, Præses, Burgrabius antè,
Vir gravis & prudens Consilioq; potens.
Filius istius vestigia pulchra Parentis
Ipse legens, Themidos dogmata ritè sapit.
Et varias callet lingvas: natura negavit
Nil illi, mater qvod dare blanda solet.
Gratus & acceptus Lechorum Regis in Aula,
Magnatum, Regni, ruris & Urbis amor.
Hinc Secretorum Respublica fecit Eundem
Participem, fasces ipsa datura dehinc.

Talibus

Talibus auspiciis ineunt connubia Sponsi
Hi, tales solido jungit amore DEUS.
Ambo florentes ætatibus, ambo parati
Respondere sibi, & dicere metra pares.
His igitur, Primus Thalami Patronus & auctor,
Omnipotens tribuat prospera cuncta Pater!
Pulchra prole Domus niteat fulvoq; metallo;
Nil desit, nisi qvod fortè nocere qveat.
Incolumes vivant, felices unanimesq;
Dum Sponsus canus, Sponsaq; fiat anus.

WENCESLAUS JOHANNIDES,
Gymn. Thorun. P. P.

Ad Dn. SPONSUM,
Amicum & Fautorem suum Honoratissimum.

FElix, ab alto cui proba contigit
Conjux, honestis nata parentibus,
Pudica, præstans, dotibusq;
Corporis atq; animi coruscâ.
Captata non sic umbra sub arbore,
Spirans opacum frigus, amabilem
Affert qvietem, vel tepentes
Per Zephyros agitata Tempe:
Qvàm si pudicæ Conjugis in sinu
Optata carpas gaudia; nec thorum
Infestet importuna Clotho,
Aut Eris insidiosa lecto.
Mi SPONSE, talem dant Tibi Conjugem
Benigna Sponsis fata, Viraginem
Castam, pudicam, nobilemq;
Fœdere dum Tibi jungis arctô.

Sis,

Sis, opto, felix, salvus & integer,
Enubilatos cerne, precor, dies,
Ac Ampliores, qvos mereris,
Mox cape, non sine laude, Honores.

f.

M. JOHANNES SARTORIUS, *Prof. Publ.*

CRede mihi falsa lactatur imagine rerum,
Pro granis stipulas qvisqviliasq; legit,
Qvi thalamos ornare studet proh! arte dolosa,
et sponsam turpi poscit adesse toro.
Scilicet ille suis sponsus male consulit annis,
qvos in conjugio vivere dignus erat.
Si non præmissa divum prece Numen adorat,
ac alia, qvam par, discupit ire via.
Instabiles fuge divitias si nubere tentas,
tunc animo dubius splendor abesse potest.
Ille placet sponsus, qvem dives gloria recti
ditat, qvem doctæ pignora mentis alunt,
Illaq; sponsa placet, pietas qvam dextra polivit,
et qvæ luxuriæ carbasa nulla dedit.
Felix conjugium si compare mente paretur,
felix si magni jussa seqvare DEI.
Hæc qvia servasti sancte, Clarissime Sponse,
jam datur in thalamum virgo pudica tuum.
Hæc qvia sponsa facis, multis virtutibus ampla,
jam sponsum casto jungis amore pium,
Interea vestris lux surgat lucida tectis,
et nitidos fugiat nox tenebrosa lares.
Vester amor perstet constans exemplar honesti;
Vivat: sic vivet magnus utrinq; Parens.

Exiguo hoc monumento affectum suum erga Neonymphos testari voluit

M. MARTINUS Böhm/ P.P.

Ihr Himmelgleiches Paar/es kan auff dieser Erden/
Nichts angenehmers seyn / auch nichts gefunden werden/
Als wenn durchs Himmels Gunst/ sich freyet gleich und gleich/
Dies ist schon auff der Erd' ein halbes Himmelreich:
Hat unsern Bräutigam Minerva nicht erzogen?
Die Braut hat mit der Milch die Tugend eingesogen:
Der Bräutgam hat erlangt Kunst/ Ehre/Gunst und Ruhm/
Und Tugend/ ist der Braut ihr Schmuck und Eigenthum:
O wehrter Bräutigam, der Tugend nur gebohren/
O schönste Braut / die auch der Ehr' und Zucht geschworen/
Ich wünsche beyden Glück / Sie leben ohne Weh'
In Fried und Einigkeit/ in Seegenreicher Eh'.
Es müsse Glück und Heyl/ gantz Stromweiß' auff Sie fliessen/
Die Segens Qvell' auff Sie / Jahr Jährlich sich ergiessen/
GOTT höre meinen Wunsch: weil Titan gibt den Schein/
Müß' eitel Fried und Glück/ und Seegen bey Euch seyn.

Michael Bapzihn.

Sint aliqvo in pretio qvamvis *Dos*, *Forma*, *Genusq*;,
Nil sunt, si *Virtus*, *si Pietasq*; deest.
Stat *Virtus*, dum *Forma* cadit, *Pietasq*; perennat
Nobile qvando *Genus*, splendida *Dosq*; perit.
Felix, cui *formosa* datur *dotataq*; Sponsa;
Sed magee, cui Socia est *Casta* virago thori;
Omnibus ast longè, longè felicior ille,
In sociam juncta est cui Neonympha *Pia*.
Qvid dicam Neonymphe? Tibi jam contigit Uxor,
Et *Virtute* micans & *Pietate* gravis,
Nobile cui *Genus* est, cui *Dos* cui *Forma* venusta:
Næ Te felicem terq; qvaterq; beat!
Nestoreos isthac cum Sponsa transige Soles,
Inq; tuo thalamo gaudia mille cape!

GEORGIUS LEHMANNUS, *Gymn. Collega.*

Bruma

Bruma venit, durâ glacie constringitur unda,
Et niveus nostram contegit imber humum.
Omnia frigus habet, rigidâ sunt compede vincta;
Jam qværit calidos incola qvisqve Lares.
Sed Tua non algent præcordia, fulgide Sponse,
Nulla tuum glacies lædit, & aura, latus,
Accendis tædas, thalami vis igne calere.
Fac; dabit ardentem lucida Sponsa Pharum.

gratulabundus appos.

MICHAEL KALINSKI, *G. P. C.*

Ist denn die Liebe nichts? was liebstu denn im Lieben?
Du sagest alles / nein: wer ist vergnügt mit ihr?
Das Wasser thut es nicht: Sie hitzt des Hertzens-Thür.
Es thuts auch Feuer nicht: weil nichts für Glut ist blieben.
Machts Reichthum? Ey so sag' woher komt ihr Betrüben?
Ists böse? nein fürwahr. Dieß machet nicht Begier.
Denn Leben? weit gefehlt: wer Liebt / stirbt ab der Zier/
Und wird lebendig todt / den Todten zugeschrieben.
So ist die Liebe todt? ja freylich dies ists eben/
Denn was todt ist / bleibt todt; doch lieben giebt auch leben/
Und weiß nicht / wers gesagt / wie? wo? und mancherley?
So denn die Lieb' nichts ist? als Alles? Wasser? Feuer?
Gut? Böse? Leben? Todt? so sag' Er Edler Freyer
Der liebsten Jungfer Braut / was doch die Liebe sey?

Denen Beyden Verliebten setzte
dies zu Ehren

Johann Burschöt / *Gymn. Collega.*

Qvondam qvadrifidi clarus per climata Mundi
Pittacus ingeniô Mytilenæus erat.
Sollicitus juvenis Thalami de Conjuge, tantum
Qvam jungat costam, qværit aditq; Virum.
Est dives qvædam, nec contemnenda Puella
Forma qvidem, hincne meo digna puella toro?

Obscurris

Obscuris illa est ast heu! genitoribus orta,
Et virtute minor, nec pietasq; placet.
Altera non dives, clarô sed stemmate Virgo,
Gratior ac oculis Sponsa venusta meis.
Tu mihi Vir juveni qværenti consule Sponso,
Utram felici ducere sorte qveam?
Carpe viam, teneris ludentibus esto puellis
Obvius, exemplô ac hos imitare tuo.
Annuit, & magnum puerorum conspicit agmen,
Ludere certatim: tu tibi sume parem.
Nec mora! postremam Thalamo sociavit amicam
Divitiis similem, stemmate sorte parem.
O sapiens dictum! factum sapientius istud!
Hic sapienter agit, qvæ is sapienter ait.
Ille ait, hic fecit. Sed tu sapienter utrumq;
AUSTEINE, hinc geminâ laude beandus eris.
Tu bene dixisti, speciosa HOFMANNIA voti
Una est, atq; manet meta petita mei.
Tu bene fecisti, DOROTHEA SUSANNAq; felix
Fœdere felici juncta Marita tibi est.
Tu tibi junxisti parilem, virtute decoram,
Sangvine Præclaram, moribus atq; parem.
Ergo Pares estis, molem bene ferte Molestam
Æqvô Conjugii cum Jove rite jugô.
Estis, & este pares, similes generate Nepotes,
Ut referant vestrum pignora chara torum.
Este pares animô, semper mens una duobus
Insit Corporibus, sic bene cuncta cadent.
Nec qvos sancta Trias thalamum jam junxit in unum,
Ulla semel junctos solvat amore dies.

Qvod
Honoris & Gratulationis
ergo apposuit

CHRISTOPHORUS WOYT, *Pr. C.*

